



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

II. Quia gentes ad Ecclesiam inducit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Hinc fortassè Greg. Nazian: illam vocat Formam credentium. *Andr. Jeros. in solut. Aug.* Fermentum sanctorum Dei, quo tota generis humani massa conspersa est ex uno Christi corpore, seu panis factus, in vinum coijt, incredibilis concretio.

2. Quia gentes ad Ecclesiam inducit,

Non dubium quin & nos in mancipatu dæmonis jacuissemus, nisi hæc Virgo manum porrexisset. *S. Cyrill. Alex. hom. 6. contra Nest.* hoc testatur; & in hunc modum grates refert. Sit tibi sancta Dei Mater laus, per te Trinitas sanctificatur, per te Crux pretiosa celebratur, & adoratur in toto Orbe terrarum, per te omnis creatura Idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionē veritatis, atque in toto Orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ, Te adjunctrice gentes veniunt ad pænitentiam, quid plura? per te unigenitus Filius, vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris, & umbra mortis. Vocabat autem ad fidem Virgo verbis, & exemplis. *S. Brigitta* alicubi scripsit ex *Revel.* In hoc mundo Filius tuus multis te annis manere permisit, & tunc per tua verba prudentissima, gestus honestissimos, & opera virtuosissima innumerabiles Judæos, & Infideles Paganos ad fidem Catholicam convertisti.

Et hoc videtur ipsa Virgo cantic. 7. egisse. *Veni dilecte mi egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Quod *Guillelmus* sic exponit. Egrediamur de illa Ierusalem quæ melius Babylon, egrediamur in mundum universum, commoremur in villulis gentium, usque ad vesperam sæculi: nam tecum manebo, ubicunque moram feceris, nam grata erit mihi omnium gentium salus. *Et rursus cantic. ibid. Manè surgemus ad vineas.* Idem explicator agit. Surgamus inquit Mater ad Filium ad vineas, hoc est Ecclesiæ per orbem plantandæ, quæ in unam magnam vineam redigantur, hoc est in Ecclesiam Catholicam.

Hinc fortè *S. August. lib. de S. Virginitate dixit:* Mater est Maria omnium fidelium, & membrorum Christi; quia cooperata est charitate, ut illi in Ecclesia nascerentur. *S. Cyrill. Alexand. loc. citato;* Per te S. Baptisma & oleum exultationis obtingunt credentibus. Per te in universo mundo fundantur Ecclesiæ. Per te gentes, & infideles ad pænitentiam adducuntur. Per te Apostoli salutem gentibus prædicarunt. Romam haud dubiè *Petrus S. Fide* illustravit; fidem tamen Romani ad Virginem videntur retulisse, dum eam domum in templum S. Virginis consecravit, quam teste *Bozio lib. 9. de signis Ecclesiæ cap. 9. in via lata Magister fidei* hospitio nobilitavit.

Quod Virgini fidem debeat Hispania, narrat id nobis *Laevius lib. 3. cap. 3.* Quod scilicet sanctissima Jacobum Apostolum ad convertendos Hispanos miserit, quod gentem istam Idololatriæ cæno crasse indormientem ad Christianæ fidei splendorem, quâ posset industriâ provocaret. Novem tantum converterat Jacobus, & cum illis ad Iberi fluvij ripas querebatur. Ecce subito illi Virgo comparuit, & constrictum angore cernens affata, doloremquæ ponere jussit, quod suis sudoribus obtinere non potuit, affecturum per Discipulos pollicetur. Hoc scilicet suæ curæ despondisse Regnum.

Galliam converterunt M. Magdalena, Martha & Lazarus, sed illæ fuerunt Discipulæ Virginis, & cum isto primam Ecclesiam in Galliæ Regno honori Virginis erexerunt. Galliam excoluit S. Dionysius, sed iste Virginis studiosissimus. Primus Galliarum Rex Christianus Clodoveus, sed cujus ope factus fidem acceperit professus est, cum primum Argentinæ templum in honorem Virginis erexit.

Flectamus jam oculos in Africam, & ipsas Indias, videbimus quod illæ Gentes non aliunde lumen fidei accepere. Ægypti certè illustratio S. Virgini debetur. Ita enim *Anastafius sinaita lib. 6. hexam.* Quando ex præsepî Bethleem, in Ægyptum cum sua Matre fugiente ab Herode versatus est, Sol justitiæ Christus statim terrâ Ægypti detegitur, deponit tenebras, Solis justitiæ lumen induit. Versatus enim est cum proprio orbe, nempe Matre; ubi spectatur promontorium bonæ spei. Rex ejus terræ idololatra, dum sæpius per visum augustam quandam Fœminam contemplatur, & tandem quænam illa esset ex allata à Christianis Deiparæ imagine agnoscit, simul lumen fidei accipit. *Bozins de signis Eccles. lib. 9. cap. 10.* Indos stella ad Ecclesiam adduxit, uti colligimus ex *Hieronymo Osorio lib. 1. de gestis Emmanuelis Regis Lusit.* ubi hæc habet.

Gama Lusitanicæ classis Præfectus, dum vellet Indorum Regem adire, primo deductus est ad templum apud illos Sanctissimum, magnificentissimumquæ, in medio verò templi facellum erat editum, formâ rotundum, ad quod per multos gradus ascendebatur, ostium erat æreum, valdè angustum, in adverso intra facellum erat imago locata, sed ob loci obscuritatem à Lusitanis aspici non poterat: aditus verò ad facellum solis Sacerdotibus patebat, quorum dumquatuor in imaginem digito intento bis Mariam inclinassent, omnes Indi in terram se proni abjecerunt, & orationem certam orârunt. Rationem autem facti eorum Princeps dictus *Catuelis* reddidit. Cranganor, inquit, erat in India Urbs vetustissima, Calecuto versus austrum obversa, cujus olim Rex Brachmanarum literis apprime eruditus, cum Sorori germanæ vitium intulisset, conscientia flagitij agitatus, gravi se inedia sæpius mulctabat, & alijs laboribus, nec tamen vel sic relevabatur. Quare Religionis causâ iter suscepit in Persidem, & Caramaniam in qua antiquissima Magorum disciplina vigeat. Hic Reges ex stella de Rege

Rege nato in Judæa edocti, se ad iter parabant, quibus se Craganoris adjunxit, qui fuit colore fuscus, qui ab hinc volebat dici Cheriperimale, hoc est unus ex tribus. Hi ergo Christum adorarunt. Hic verò tertio tandem anno reversus in Patriam ædem nomini Mariæ consecravit, in qua SS. Virginis imago in ulnis Filium tenentis collocata est, & eum ritum eos adorandi edocuit, tandem Rex ut Divinis rebus vacaret, omnia inter sapientes distribuit, ex quibus unus fuit erecto Calecuti, & illud templum, & facellum erexit, & cultum edocuit.

Virginem designabat stella juxta *S. Bonavent. in spec.* quæ Magos ad Christum duxit. Itaque Virgo Magum Indorum Apostolum ad fidem adduxit, & Magus Virgini templum ut in ijs locis Patronæ fidei primum dedicavit.

Pulchrè *Buteo in hymno p. 132.* Virgo est lampas splendida, his qui sunt in tenebris conspicua, immortalis accensa lumine, ad cognitionem Divinam omnes deducens, splendore mentem irradians, *Rovivardus in hist. Parthen.* scribit de S. Sabiniano & Potentiano, dum causâ Evangelij prædicandi S. Petri jussu cujus erant discipuli proficiscerentur, antequam Agendicum Senonum Metropolim pervenissent, ipsa nocte Natalis Domini cum orarent exhibitam habuerunt per visionem S. Matrem cum infante modò nato. His auspicijs illata fides illi regno, ab his viris edocti fidem Senonenses, & Carnotenses Divæ Virgini templa erexerunt.

S. Marcianus datus Syracusanis Episcopus, ut scribit *Octavius Cajetanus de illustrib. edib. B. V.* Siciliâ imaginem secum Virginis detulit, quâ idolorum statuas tanquam fulmine, dæmones, ac morbos profligabat. In Hispania S. Cæcilius Illiberorum à S. Petro Episcopo constitutus, scriptis Deiparam illustravit. S. Pius item Episcopus Hispalensis templum Divæ Virgini erexit. Pari modo Petragonis in Gallia, Fronto, Anicij, Georgius Lemovicis, Martialis templa Virgini aut aras erexerunt, & quidem S. Martialis Anicij calcem Virginis deposuit. S. Mateonus à S. Petro in Germania missus, Colonienfium, Tungrensium ac Trevirensium Apostolus, ut scribit *Borzus de signis Ecclesie lib. 9. cap. 9.* Virgini S. Templa erexit, præcipuè Tungris, quod primum in fra Alpes fuit. Nimirum testati illâ auspice, illâ duce, illâ directrice se gentes illas Christo lucratos.

Christophorus Bonus in hist. Cochinchinensi apud Niremb. in triumpho Mariano tradit: Cum Patres Soc. Jesu habuisset sedem in Urbe Noveman Regionis Pulicambis, magna gentilium multitudo ad eorum fores apparuit, interrogati quid peterent: responderunt se vidisse in Regione pulcherrimam Virginem in aere sublimem, solis instar fulgentem, quæ ipsos ad hanc Urbem mittebat, ubi Patres convenirent, à quibus rectam cæli viam docerentur. Quocirca meritisimè Virginem appellavit *Rupert. lib. 7. in cantic.* Matrem Christianorum. Et *Andr. Cret. Orat. de Assumpt.* Columbam vivificam, quæ est, non carnalem, per lucem deducens Israelem, qui fugatur, sed spirituales

ritualem qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, Divinis illuminans facibus. *Et rursus dixit: Quòd sit Virgo Currus Dei, decies mille millibus multiplicatus, qui millia locupletum adduxit ad Deum carne tectum. Adjiciamus adhuc ex annalibus Benedictinorum de Mauris.*

Regnabat Toleti Maurus Alemcon hostis Christiani sanguinis sitientissimus: misit hic filium suum Petranem, ut Christianos ubique persequeretur, quod & strenuè fecit, & ingentem eorum numerum adduxit, jamquè erat captos divisurus militibus propè Oppidum Itam: tum verò gemitus captivorum ad Virginem conversus, nec frustra; nam Virgo subito magnà majestate super arborem ficum conspicitur, & dicit Petrani Christianos gentem suam esse, atque sub patrocinio à se haberi, quapropter finat liberam. Petranes hæret dubius, atque quænam illa sit requirit. Respondet hæc se esse Virginem Mariam, quæ peperit Filium Dei in humani generis remedium, ac propterea ipsam quoque esse Advocatam peccatorum eorum, qui illius implorabant auxilium. Motus his verbis Barbarus, & donavit libertate captivos, & fidem veram appetijt, atque obtinuit: Nam Virgo illum instruxit, & in proximo fonte baptizavit, Romamquè causâ obedientiæ injussit, ac seriem eventus ibidem explicare. Erexit eò loci sacellum Petranes, quod hodie dicitur Dominæ nostræ Desopetran, & redux Româ sanctissimè in obsequio illius sacelli vitam exegit. Multa etiam hodie miracula fiunt per aquam illius fontis, in quo fuerat baptizatus & Benedictini ibidem habent Monasterium.

Cùm S. Gripho Maronitis fidem Catholicam prædicaret, neque illi assentirentur, tandem ad eorum Regulam conversus dixit: Credesne si solem qui nunc est in occasu retorsero in orientem? accepit conditionem Regulus; tum S. opem S. Virginis cujus illa dies fuit Assumptæ in Cælos implorare cepit, & ò rem miram! sol regressus in Orientem, rursus diem incepit. *Apud Maraccium in Antislit: Marian. fol: 248.* Ita verum est & quod *Buteo in hymno p. 137.* Virgo est astrum inocciduum, magnum solem inducens mundo. Et quod *Hugo de S. Vict: serm: 42.* Est balsamum mundum universum opinionis optimæ redolentiâ adimplens.

Conversæ & aliæ gentes per Virginem, sed has solas & à quibus fidem cætera acceperunt, posuimus. Certè ipse Christus conversionem Samaritanæ quæ suæ gentis facta est deinde magistra propè fontem operatus *Joan. 4.* Qui juxta *S. Bonæ. in spec.* Virginem nostram repræsentat.

Quid verò Virgo adhuc vivens ad cōversionem contulerit, *Angelus* nobis aperiat, qui *B. Brigittæ* sermonem de excell. Virginis dictavit. Ita ille *cap. 19.* Post mortem Christi Virgo plures animas sua salutarî doctrinâ ipsi Deo præsentabat, quàm aliqua alia persona suis univèrsis operibus.